



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XX. Post incisam venam incautiùs dormienti Ioseph Virgo Mater
apparet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

ORDINIS PRAEMONST. 63
emplum, ab incognitis cum verecun-
dia abstinendi, & benignitatis affe-
ctum circa beneficas exhibendi.

CAPVT XX.

*Post incisam venam incautiùs dormienti
IOSEPH Virgo Mater apparet.*

SUBNECTERE delectat quiddam
breue, delectationis eximiæ, quod
Lectorem in sui iucunditate faciat ad-
mirantem, & in admiratione iucun-
dum. Phlebotomatus aliquando iu-
uenis speciosus (sicut moris est) incau-
tè se ad dormiendum super lectulum
reclinavit, ita vt super brachium vul-
neratum toto corpore periculosè iace-
ret; & si illum Procuratrix fidelissima
non muniuisset, salutem corporis,
quam sanguinis minutione quæsierat,
cum ipso forsitan sanguine minuisset.
Sed non passa, vt suus vnanimis, cui
fidelitatem debebat, vitæ detrimen-
tum casu tam miserabili pateretur,
(quod

*Obserua
quàm fue-
rit charus
Matri Dei.*

(quod leuiter potuerat dormiendo) festinanter aduenit; & iam dormitantem verbis huiuscemodi excitauit: Cautelam tibi adhibere curato; quia minùs cautè subtus te minutum brachium posuisti. & post hæc brachium vulneratum beatis manibus apprehendens, docuit dormiturum, quomodo & illud, imò & totum corpus, ne aliquod pateretur periculum, collocaret. Quid est * hoc? Auditane sunt talia, aut scriptis alicubi commendata? Ficta putentur, si non ab ipsius ore hæc ad præmunitionem Fratrum iucundissimè * sunt relata. Neque enim talia aliquatenus reuelare consueuit, nisi ad salutem animæ cuiusquam aut corporis pertinerent; maximè postquam quarumdam amissione consolationum à magnorum reuelatione est coërcitus secretorum; vel, nisi cum reuelatione pariter reuelaretur eidem, cui & ob quam causam foret, quod acceperat, reuelandum. Nos autem & propter

* Hoc MS. deerrat.
Surius:
Quidnam quæso est isthuc?

* Fortè essent.

ORDINIS PRAEMONST. 65
propter hæc & propter sequentia be-
nedicamus in mulieribus benedi-
ctam, & seruum eius fidelissimum, &
amicum in amicis eius omnibus be-
nedictum.

CAPVT XXI.

*Deum non sine ratione Sanctorum suorum
nomina subinde commutasse.*

AVSCVLTO iamdudum & ani-
maduerto murmura hæc legen-
tium: quare, & quomodo sit muta-
tum nomen charissimi Fratris nostri,
quod in Baptismo acceperat, & quod
ipsi etiam specialiter expositione mo-
rali conuenire monstraui. Non frau-
dabo pia quæstione Lectorem: nam
& huius rei veritatem ex ipsius con-
fessione cognoui; ita vt hanc audeam
scripturæ veritatis committere confi-
denter. Adesto Auctor veritatis, sum-
ma Veritas, Deus meus, nec me à tua
veritate aliquatenus aberrare permit-

*Totum hoc
caput Lau-
rentius Su-
rius omisit.*

E te.